



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Nullis idoneis nititur testimoniis haec Philostrati historia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

eo libro quem *φιλολογία* inscripsit. Eunapius quoque, homo superstitionibus ad delirium usque deditus, & Christiano nomini infensissimus, Philostrati opus, non Apollonii vitam, sed Dei adventum ad homines inscribi debuisse pronuntiat. Eadem Latinis literis consignare propositum habuerat Vopiscus, ut declarat ipse in vita Aureliani, ubi & talibus eum extollit præconiis, ac si non hominem laudare, sed Deum sibi conciliare vellet. Quodque miremur amplius, Sidonius Apollinaris, hac Philostrati lucubratione, excerpitque inde à Nicomacho, & ex illis Nicomachi à Tascio Victoriano schedis, in fraudem illectus, eas in Apollonium contulit laudes, quæ Christianum hominem parum deceant, neque ullam tot mendaciorum suboluisse ipsi auram demonstrant. In eadem culpa est Johannes Tzerzes, qui non Philostratum solum, & eos quos secutus est Philostratus, sed & magnum præterea Historicorum numerum prodigia ab Apollonio edita in literas retulisse ait. Quæ quanquam ita sunt, non alii tamen ante Philostratum hoc videntur tractasse argumentum, præter Damidem Ninivitam, individuum Apollonii comitem, Maximum Ægiensem, & Mæragenem, quos se secutum profertur Philostratus. Atque hi partes historiae hujus delibaverant aliquas; totam vero primus Philostratus complexus est. Fons ergo hic est, unde tot de Apollonio fabulæ manarunt. Ut autem intelligant homines Christiani dogmatis excellentiam, cui quod opponeret cum anxie sollicitæque quæsiverit impietas, pueriles solum fabulas, anilesque nugas potuit comminisci, mihi ab instituto alienum haudquaquam videtur esse, fallaciæ hujus scenam aperire. Factum id quidem feliciter jam ante ab Eusebio, in eo opere quo refellendum suscipit librum *φιλολογία* Hieroclis, qui non solum adversus Christianos atrocissimis suppliciis sævit, cum esset Ægypti Præfectus, sed Christianam quoque doctrinam impia scriptione oppugnavit. Nonnulla tamen observata sunt à me, quibus illustrari hoc argumentum, magisque enitescere possit.

Sid. Apoll. libr. 8. Epul. 3.

Joh. Tzerz. Chil. 2. Hist. 60.

Philostr. De vit. Apoll. libr. 1. cap. 3.

II. Philostratus primum, plus centum annis Apollonio recentior, res ab eo gestas nonnisi ex alieno testimonio cognitas habuit: cum Christi Jesu vitam coætanei fere Scriptores, actorumque ipsius oculati testes prodiderint. Testes historiae suæ laudat Philostratus, civitates quas adiit Apollonius, templâ quorum ritus collapsos restituit, vulgi sermones, Apollonii ipsius epistolas. At quamvis magnam orbis partem se peragrassè jactet Philostratus, vix tamen nobis persuaserit, ab Indicis aut Æthiopicis civitatibus, quas Apollonius adiit, ejusmodi se testimonia habuisse. Deinde paucis ac sæpe nullis testibus acta sunt prodigia pleraque Apollonio adscripta. Præterea quis Philostrati ipsius fidem, testimonia hæc præ se ferentis, præstare velit? Vulgi sermones jactat; stolidi scilicet & inepti, de rebus ante centum annos actis temere differentis. In Apollonii vero epistolis, non de rebus ab ipso gestis, sed de gentium, quas lustraverat, moribus agebatur. Testes dat præterea Philostratus Damidem, quem dixi, Assyrium, perpetuum Apollonii socium, à quo omnia ejus facta dictaque in literas diligenter relata esse ait; Maximum Ægiensem, & Mæragenem. Ad primum quod attinet, quam parum ipsi habendum sit fidei, mihi satis liquet: nam si planus fuit Apollonius, uti fuisse sequentia probabuunt, deceptorem quoque & vaniloquum fuisse Damidem putandum est, qui arcanorum ejus omnium, mendaciorumque particeps fuit. Deinde nec suos in lucem commentarios ipse edidit; sed per quemdam ejus familiarem cum Julæ Severi uxori innotuissent, hujus iussu recognovit eos Philostratus, & in ordinem digessit. Annon hæc contingere amicus ille Damidis potuit, & Damidi affingere, ut vendibilior esset ea merx, & Julæ facilius obtrudi posset? Perpaucæ vero erant, quæ in librum suum retulerat Maximus, ea nimirum duntaxat, quæ Ægis Apollonius egerat. Mærageni fidem palam detrahit ipse Philostratus, quippe multorum viri actorum ignaro.

Nullis idoneis nistur testimoniiis hac Philostrati historia.

Philostr. De vit. Apoll. libr. 8. cap. 13.

Philostr. libr. 1. cap. 3.

Exquiruntur cause, quibus ad eam conscribendam inductus est Philostratus.

III. Nullis ergo certis ac solidis incumbit fundamentis tota hæc Philostrati moles, sed caduca, ac in ruinam prona est: cujus ad speciem extruendæ causam hanc habuit præcipuam, ut Julæ ac Caracallæ gratificaretur. Caracallam enim restatur Dio summis Apollonium extollere laudibus solitum esse, & monumento, quælia Heroibus extruuntur, decorassè. Juliam vero Philosophiæ studiis deditam fuisse memorant idem Dio & Philostratus; Sophistarumque, Rhetorum, ac Geometrarum choro plerumque stipata erat. Quamobrem & de præcorum Philosophorum moribus ac studiis edoceri se volebat, atque hanc Apollonii potissimum historiam à Philostrato tradi literis optavit, eique Damidis commentarios suppeditavit. Altera Philostrato accessit causa concinnandi hujus operis, vana nimirum collectæ per otium eruditionis expromendæ ac ostentandæ cupiditas. Quorsum enim ambitiosi illi excursus, & importunæ dissertationes, de rebus ad Apollonium haudquaquam pertinentibus? de pantheris Armeniis, de elephantis, de martichora, de gryphibus, de